



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXIX. Cur Christus Dominus inter duos latrones in cruce  
medius pendere, & mori voluerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



# CONSIDERATIO LXIX.

Cur Christus Dominus inter duos latrones in cruce medius pendere, & mori voluerit?

*Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris & unus à sinistris. Matth. 27. 38.*

I.

**C**hristus Dominus redemptionis nostræ auctor & felicitatis æternæ Mediator, medius inter Deum Patrem & Spiritum Sanctum, in hac quoque terra plerùmque medium eligere voluit, unde Habacuc Propheta: *Domine audivi auditionem tuam, Habac. 3. 1. & timui. Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud.* Observa hic prudens Lector, opus redemptionis nostræ à Christo in medio annorum illius ætatis vivificatum, atque in cruce completum est, hoc est anno ætatis Christi trigesimo quarto à primo conceptionis instanti, quæ est mediâ vitæ humanæ ætas, censetur enim ætas hominis septuaginta annorum, & si quid ampliùs, labor & dolor.

2. Audiamus plura: Christus natus est in mundum mediâ nocte, ita Sapiens: *Cùm quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de celo à regalibus sedibus proflavit.* Sap. 18. 14. Natus in medio duorum animalium, bovem inter & asinum in præsepio positus est: *Cognovit bos Possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Isa. 1. 3. Domi medius inter Josephum patrem nutritium & Virginem Matrem conversatus est. Puer duodennis in medio Doctorum in templo inventus. Vir in medio Apostolorum: *Ego sum in medio vestrum,* Luc. 22. 27. *tanquam qui ministrat.* Matth. 17. 3. In monte Thaboræo medius inter Moysem & Eliam transfiguratus est. Resurgens in medio discipulorum apparuit; unde rectè B. Damianus: *Filius Dei ubique in medio.* Et quid dico? etiam in amarissimâ passione sua in medio duorum infamium latronum pende-

Kk 3

pende-

pendere voluit, ut sic in medio terræ salutem nostram operaretur in cruce. Et quare, obsecro, inter duos latrones medius?

Luc. 10. 30.

3. Recordor hic illius Viatoris, qui ab Hierusalem in Hiericho descendit: *Et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impostis abierant semivivo relicto.* O mi JESU! tu es ille Viator, qui è cœlesti Hierusalem in vanitatis Hiericho descendisti, & in latrones, peccatores, es delapsus, & nunc medius inter illos pendes. Paulò ante tibi

Luc. 15. 2.

objectum fuerat: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis,* jam cum illis in patibulario pendens ligno, velut coriphæus illorum; ô qualis hæc Trias in Calvario monte: *DEus inter latrones?* Non sumus, obsecro, hic sicut ille Levita & Sacerdos, qui sine sensu, sine misericordia, sine charitate proximi transierunt, sed imitemur optimum Samaritanum, in Vulnera JESU crucifixi vinum & oleum infundentes, hoc est sinceræ pœnitentiæ & compassionis lacrymas; audi Venerabilem Thomam Kempensem: *Requiesce in Passione Christi, & in sacris*

Tho. Kemp. p.  
de Imit. Chr.  
l. 2. c. 1.

*Vulneribus ejus libenter habita; si enim ad Vulnera, & pretiosa stigmata JESU devotè confugis, magnam in tribulatione confortationem senties, nec multum curabis hominum despectiones, faciliterque verba detrahentia perferes.* Ecce Crucifixus omnia in omnibus.

Jo. 12. 32.

4. Olim promisit Dominus: *Omnia traham ad me ipsum.* Ita utero virgineo adhuc clausus traxit Joannem Baptistam; in cunabilis conditus ab Oriente Magos; de littore maris Petrum & Andream, item Joannem & Jacobum; In via ambulans Matthæum & Zachæum, de nocte Nicodemum principem Phariseorum; in cruce, velut magnus fortissimus, turbam ac Centurionem ad luctuosum hoc spectaculum adstantes, & pectora sua percutientes, & inter hos etiam latronem à dextris suis pendentem; Sed cur ô mi Domine, non etiam latronem alterum pendentem à sinistris ad te attraxisti?

R. Quia trahi noluit, & ne traheretur, omnibus modis restitit, atque sic per blasphemias suas & incredulitatem omnem salutem suam viam obfirmavit; periit igitur miser, quia ipse perire voluit. Alter pœnitens mox Christo victas manus dedit, & de prædone factus est præco Evangelicus. Audiebat quidem qui ad sinistrum Christi latus pendebat, preces morientis Redemptoris ad Patrem factas, videbat illius patientiam, mansuetudinem, ac silentium contra omnes criminationes; cernebat insuper immanissimas tenebras, sensit terræ motum toti orbi formidabilem, & ad hæc confessionem Socii, veniamque à Christo illi concessam: nihilominus tot argumentis ad salutem agendum negotium propositis, duravit obstinatus in suis criminationibus, & sic sine pœnitentia mortuus, ac damnatus est. O miseriam negligere tempus

Voca-

vocationis ac visitationis suæ, & non respondere gratiæ divini toties nos ad meliorem frugem excitanti, ô miseriam! Noli hic investigare, si non vis errare, quare DEus unum trahat, & alterum relinquat? O Domine IESU, trahe me post te.

5. Dicebat quondam de se Christus: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Ostium ad æternam vitam sunt SS. Vulnere Christi, hæc contemplatus est latro pœnitens, licet similibus clavis affixus, & per illa mox post obitum paradysum invenit: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* Vide hic, ac considera, quomodo post confessionem boni istius latronis gratia divina in ejus corde creverit, & illuxerit. Petrus Apostolus Christum negat, latro cruci affixus confitetur. Discipuli euntes in Emaus dicunt: *Nos sperabamus,* hic autem confidenter loquitur: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Thomas Apostolus ait: *N. si videro loca clavorum, non credam.* Latro in cruce Christum cruci affixum aspiciens Regem vocare non dubitat. *Quis, obsecro, hunc latronem tam alta mysteria edocuit? Dominum vocavit, quem nudum, vulneratum, dolentem, palam irrisum & despectum secum pendere in cruce vidit, unde meruit ab ipso Veritatis ore hanc gratiosam vocem audire: Hodie mecum eris in paradiso.* O si aliquando ego & tu, ô mi Lector!

6. Assuerus Rex, ut suam munificentiam in Estherem Reginam explicaret, dimidium ei regnum promisit: *Quid petis, ait, ut detur tibi? & pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Hoc fecit & Herodes Rex filia suæ Herodiadi ob saltum dimidium regni sui promittens: *Pete à me, quod vis: quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Grande ex utraque parte promissum, sed neuter aliquid dedit, neuter promissum servavit, licet promissum cadat in debitum. Hic est mundi cursus.

Considera hic Christum pendentem in ligno, pro te homine indigno; non dimidium regni sui latroni pœnitenti pollicitus est, sed totum regnum, totum paradysum, & quidem adhuc hodie, quia nemo fidelior in suis promissis, quam ipsa Veritas Christus. O quam immensâ gloriâ in cœlesti regno nunc gaudet, imò superabundat homo ille abjectus, & ob scelera sua crucifixus latro! Cape hic animum & magnam fiduciam qui hæc legis, servi ex animo crucifixo Redemptori tuo; si enim tam liberalis fuit in latronem, qui eum in extremis duntaxat honoravit, quantò liberalior erit in te, si illi totâ vitâ verè & sincerè servieris? O quam bonum est servire DEO!

7. Pharao Ægyptiorum Rex duos quondam servos, pincernam & pittorem, in eadem offensâ & indignatione constitutos ad carcerem con-

**Gen. 40. 21.** condemnavit, ex quo unus in gratiam Regis receptus, & alter ad patibulum damnatus est: *Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei patibulum: alterum suspendit in patibulo.* Pendent in patibulo crucis ad latus supremi Judicis duo rei, morte & inferno dignissimi: Et ecce unus absolvitur, & alter æternum damnatur; in quo, ait Cornelius, Christus se ut Judicem demonstrare voluit, reddens utrique debitas vices juxta utriusque merita; huic paradifum promittendo, & alterum æternum damnando; hoc erat præfagium magni illius & extremi judicii, in quo Christus medius ad dexteram habebit Sanctos, quos vitæ æternæ præmiabit, ad sinistram reprobos, quos morte sempiternâ multabit.

**Psal. 142. 2.** O bone DEus, ubi tunc stabimus? Ah Domine JESU, *ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

**Luc. 23. 39.** 8. Caterum quærunt Sacri Doctores, quomodo bonus ille latro in notitiam Christi venerit, eumque ut Regem ac Dominum suum, imò ut Dei Filium agnoverit, unde obstinatum commilitonem increpavit: *Neque tu times DEum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.*

**Matth. 27. 24.** R. S. Cyrillus Hierosolymitanus, quod latro ille bonus Christi innocentiam in judicio Pilati agnoverit; fuerunt enim in criminali & finali illo judicio ambo latrones, non se junctim, sed simul cum Christo ad tribunal Romani Judicis adducti, ubi ab ipso licet iniquissimo Judice audit: *Innocens ego sum à sanguine justis hujus; vos videritis; hoc bonum latronem ad alium sensum commovit, hinc S. Cyrillus illum cum malo in cruce loquentem sic inducit: Hic nihil mali fecit: aderamus enim ego & tu in judicio.* Accedebant tot prodigia in passione Christi facta, & intercessio B. ac dolorosissimæ Virginis Matris, prout habet B. Damianus & alii, quæ omnia eor illius ad cognoscendum & amandum DEum movebant, interim sinistro ac perverso latrone in sua permanente obstinatione. Considera hic quam tremenda ac timenda sint

Dei judicia: *In toto Canone Scripturarum, ait S. Bernhardus, unum latronem invenio sic salvatum.*

